

*Pallida mors equo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres. Stat sua cuiq; dies,*

& ea lege omnes nati sumus, ut cum vitæ finis adest, naturæ, uel inuiti, uel uolentes, concedere necesse habeamus. Quæ cum à me dicuntur, satis, opinor, apparet, ut nulla uis maior admoueat, omnia aduersariorum tela, hoc exemplorum, quasi clypeo quodã obiecto, ita excipi, ut irrito ictu sua sponte decidant, uel potius in ipsos infestos, atq; inuehentes se, repellantur.

Itaq; hunc istum cometen, qui non ita pridem flagrare desiit, & tam prodigiosus decernitur longe alius, ut equidem spero, euentus consequetur, quàm uulgo intimi isti Dei & naturæ consiliarij inflatis buccis, tanquã è tripode, uaticinantur. Quod si quo tamẽ casu bella aliqua, si pestis, si deniq; alia mala (quæ benigne Deus auertat) exoriantur, quis est uitæ communis rerumq; humanarum tam insolens atque ignarus? quis consiliorum, actionumq; tam parum acutus aestimator, qui uel leuissima auditione acceperit ea, quæ ubiq; fere gentium agitantur, ut ea ad cometæ potius crines, aut barbam, aut caudam, atq; adeo ad remotas illas cœlestes uniuersalesq; quàm ad proximas præsentescq; causas referenda esse pertinaciter adhuc contendat: nisi eorũ etiam bellorum, pestilentia, aliarumq; calamitatum cometen esse causam, temere & sine ulla ratione nugetur, quæ calamitates multo ante humanum genus misere afflixerunt, quàm ullus in cœlo cometes existeret, aut ulla adhuc materia, uel siderum, ut loquuntur, in sublime hausta efferretur. Ne longe abieris, Veneta certe (in qua una urbe supra centum hominum millia absumpta dicuntur) aliarumq; Italiae, Germaniae, Vngariae, Sarmatiae, Thraciae urbium, ante cometen exorta pestilentia est, & ut multis iam locis desæuiit, ita alijs quoque uicinis contagionem ciuitatibus communicauit. Itaq; durat hodieq; passim, ac, nisi Deus eam remouerit, causæq; quibus hæc lues alitur, sublatae fuerint, durabit diutius, uicinosq;

nosq;